



PRAEFATIO.

Quod de hoc ipso argumento ante vi-
ginti et quod excurrit annos edi-
deram paucarum plagellarum schediasma
praeter omnem spem exspectationemque
meam tanta celeritate distractum est, ut a
multis iam annis nulla eius exemplaria pro-
stiterint, et facile intellexerim, nec val-
de mediocria prorsus contemni. Fuerunt
deinde, qui abs me rogarunt opusculum, ne-
que tamen, penuria quippe exemplarium,
eorum desideriis ex voto satisfacere pote-
ram.

P R A E F A T I O.

Hae aliaeque causae me tandem impulerunt, vt pristinam materiam resumerem, atque ita retractarem, vt nouus omnino libellus merito haberri debeat; nam erant, erant nœui, quos abstigerem, et, antiquas solum dapes sine nouo condimento apponere, parum verecundum videbatur. Accedebat, quod ipsa sententia, quam in hoc opusculo tuitus sum, non prorsus noua sit, sed controvèrsa; in quo scribendi genere maxime decet adiicere aliquid, quod alii non tetigerunt, aut omnem rem omittere. Ita igitur hac in re versatus sum, vt aliorum, qui ante me de hoc arguento scripserunt, inuentis quidem usus sim, veritatem enim rem omnium mortalium communem esse iudico; sed ita usus sum, vt vnicuique saluam reliquerim inuentionis gloriam. Eam ob causam potiores a quibus didici auctores passim laudati, non tamen vbique omnes; idque eo magis ad exemplum sufficere existimau, cum harum rerum gnari per se iam satis norint, quid debeant cuique tribuere. Deinde, post-

quam

P R A E F A T I O.

quam sententiam, qua olim ad eruditorum dissidium componendum nimis liberaliter concesseram, quod Codex DIONYSII non repetitae quidem, sed saltim primae praelectionis, iam ante annum 774. apud Gallos receptus fuerit, respuendam esse cognoui, non modo, ut aliorum ad hoc argumenta novis nonnullis obseruationibus confirmarem, sed etiam ut alia quaedam argumenta adiicerem, et cuncta a dubiis dissentientium liberarem, curae cordique fuit. Hunc vero laborem non adeo facilem deprehendi; ut, omnes me superauisse difficultates, si gloriarer, mortalium vanissimus fuerim. Permeandae etenim erant illae tenebrae, quae olim, praesertim vero seculo sexto, septimo et octavo ecclesiam Gallicam et Germanicam premebant: in quibus quam pericolosum sit iter, norunt omnes, qui illud vñquam mecum emensi sunt; caeteri vero discent, si modo rei faciant periculum.

X 3

At-

P R A E F A T I O.

Atque haec eo potissimum fine abs me
dicta esse, ut tanto facilius errores, quos fer-
te alicubi errauit, excusarem, Lectores faci-
le suspicabuntur, nec eos ad indulgandam
veniam fore difficultes, prorsus confido. Pau-
cos et exigui quidem momenti illos fore,
spero, nullos repertum iri, opto: certe, ut
nulli sint, culpa saltim mea, sedulo cauere
studui. Vt cunque vero sit, non puto ad in-
uidiam meam id pertinere, vbi in votis ha-
beo, ut alii vel tantillum in paruae molis
libello, quod sibi placeat, deprehendant. Hoc
si consecutus fuero, iam, nescio, an quid
amplius desiderare debeam? Scrib. Erlan-
gae d. 1. Febr. MDCCLXXVII.



Con-